



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 75. Sylvestri Prieratis scripta adversus Lutherum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæc. XVI.  
A.C. 1518.

§. LXXV.

*Sylvestri Prieratis scripta adversus  
Lutherum.*

*Epitom re-  
spons. Sylv.  
ad Luth.  
Cochl. l. cit.*

Sylvester, mutuato nomine a quodam Montferratensi Nativitatis suæ oppido Mazolinus Prieras dictus, Ordinis FF. Prædicatorum Alumnus, atque Sacri Palatii Magister, summam casuum conscientia, quæ vulgo Sylvestrina vocatur, composuit, eamque Leoni X. nuncupavit, pariterque adversus Lutherum librum edidit, quem inscripsit: *Detecti errores Lutheri, ejusque argumenta confutata.* Abundat is liber exaggerationibus, ac propositionibus, quibus potestatem ac Papæ auctoritatem etiam longe super omnia Concilia extollit, ac ejusmodi verbis utitur, quæ nequidem Theologi inter Ultramontanos ferventissimi approbarent. Hic quamlibet etiam Lutheri propositionem sua censura perstrinxit, minime ejusdem honori parcens, ac velut doctrinæ suæ fundamentum præmisit, quod non modo Ecclesia Universalis, & Ecclesia Romana, sed summus etiam Pontifex sit infallibilis, hicque supremam habeat potestatem tam profanam quam sacram, proin pœnis temporalibus coercere valeat illos, qui fidem semel professi errores tradunt, nec ad eos convincendos argumentis utendum

tendum affirmavit; tandem conclusit, hæreticum esse eum, qui omnia, quæ Ecclesia Romana circa indulgentias tradit, vituperat. Hunc librum Lutherus responso Romam misso confutavit, moxque Sylvester Prieras epitomen responsionis edidit, quam tamen confutatione haud dignam Lutherus reputabat (\*).

Sæc XVI.  
A.C. 1518.

## §. LXXVI.

*Lutherus a Jacobo Hochstrato impugnatus.*

Non segniori studio ac ardore Jacobus Hochstratus itidem Dominicanus sese Lutheri novitatibus opposuit; nam hic, quo hostem magis acerbum Lutherus nullum unquam habuit, Papam adhortatus est, ut Lutherum impostero non nisi ferro flammaque coerceret, ac ocius mundum hac peste liberaret. Ceterum Scriptor ille stylo utebatur satis rudi, atque a puritate sermonis valde alieno. Scripsit Lutherus adversus Hochstratum veluti publicam rei a se gestæ defensionem, in qua eidem suas objurgationes atque ignorantiam verbis admodum vehementer

*Luth. contra  
Jac. Hochst.  
t. I.*

(\*) Eo tempore Lutherus nondum apertus fidei hostis videri voluit, hinc ne venenum, quo tumidus erat, evomere cogeretur, Sylvestri librum refellere ausus non est.